


# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Pactorvm De perpetua Successione in Regnis Hvngariae & Bohemiae ac Provinciarvm ad ea pertinentium, Instrvmenta**

**[S.l.], 1617**

[urn:nbn:de:bsz:31-110391](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110391)



42 A 1932,3

RH

Em PACTORVM 4

De perpetua Successione in Regnis HUNGARIE & BOHEMIÆ ac PROVINCIARVM ad ea pertinentium,

INSTRUMENTA

VI. & XV. Mensis Junij

Anno DCXVII. Præfecta.

- <sup>x</sup> PHILIPPO III. Hispaniarum Rege, Iuri suo renunciante, & Matris Suae ANNÆ, Maximiliani II, Imp. Filia, cessionem ratificante, necnon pro resignatione tam Sibi Compensationem, quàm Heredibus Suis, cum primum in linea recta FERDINANDI Austria Archiducis series legitima Masculina abrupta fuerit. Restitutionem stipulante. Ferdinand II. Kaiser v. Deutschld.
- <sup>x</sup> FERDINANDO, Austria Archiduce, hac acceptante, grata rataque habente, & juxta Compensationem, etiam in casu masculinorum rectâ à se lineâ serieque non interruptâ legitime descendere cessantium, Restitutionem promittente.
- <sup>x</sup> MATTHIA II. Rom. Imp. Pacta hac non solum intercessionem Sua procurante, sed etiam Casareâ pariter atque Regiâ Authoritate confirmante.

In Catholica RELIGIONIS & MAJESTATIS DOMUS AVSTRIACÆ salutem atque incolumitatem.

(1617)

PHILIPPUS III. HESPERIAE  
CIVITATIS REGIS  
MUNIFICENTIA



[The main body of the page contains several paragraphs of text that are extremely faint and illegible due to fading or bleed-through from the reverse side of the leaf.]

ZO



PHILIPPI III. HISPANIARVM REGIS RENUNCIATIO.



GO Don Inacius Veloz de Guevarra, Comes de Ognate, Sacra Regia Catholica Majestatis in Germania Legatus, notum facio per presentem scripturam & Instrumentum.

Cum Sacra Casarea, nec non Hungaria & Bohemia Regia Majestas, MATTHIAS II. pro paterno suo & singulari in RELIGIONEM CATHOLICAM, Augustamque DOMVM AVSTRIACAM, amore, curâ & sollicitudine, ad horum omnium salutem & incolumitatem magno perè pertinere statuisset, ut Se adhuc superstitè, DE FVTVRA SVCCESIONE Regnorum Suorum HVNGARIÆ & BOHEMIÆ & PROVINCIARVM ad ea pertinentium prospiceretur: atque in hunc finem varia officia apud REGEM, Dominum meum, interposuisset: Quò Catholica Sua Majestas induceretur ad ratificandum Renunciationem per Seram: Reginam Annam, Suam matrem, Dominam meam, XXIX. Die Aprilis M. D. LXXI. in favorem descendendum masculorum Imperatoris FERDINANDI gloriose memoria factam; necnon ad cedendum & renunciandum juri, quod in dicta Regna ac Provincias illis annexas, ipsi tanquam unico ANNÆ, Hungaria & Boëmia Regina, per filij ipsius primogeniti, Dn. MAXIMILIANI II. Imperatoris, lineam rectam descendendum Pronepoti competit, aut quoquo modo competere potest, in favorem & beneficium Serenissimi Archiducis Ferdinandi, Consobrini & sororij sui amantissimi. Hinc eadem Catholica Majestas, gloriosorum predecessorum suorum Regia vestigia & exempla munificentie imitando, & quanto sit in sancto RELIGIONIS, boni Publici, DOMVSQUE SVÆ conservanda & amplificanda amore & desiderio; uti sapius antehac, auxilia sua prestando, aliisque modis, ita etiam nunc egregie demonstrando; publicum bonum privatis suis commodis anteponens, Mihi prænominato Oratori seu Legato suo, per Mandata Procuratoria & Instrumenta in debita formâ Madritij ad vicesimum primum diem Aprilis Anno MDCXVII. nunc currenti confecta, atq; in autographis suis, præter copiarum authentica-

vum communicationem, hic exhibita, specialem potestatem & auctoritatem dedit, ad Regio Svo nomine dictam cessionem cum confirmatione supra scripta renunciationis, ad satisfactionem Serenissimi Archiducis, faciendam. Quocirca Ego supra nominatus Orator & Mandatarius, vigore dicti Mandati Procuratorij, in originali exhibiti, & per copiam traditi, ac Plenipotencia mihi concessa, nomine REGIS, Domini mei, necnon Serenissimorum Principem aliorumque Infantum filiorum ejus, ratifico, approbo & confirmo dictam Renunciationem, a supra nominata Regina ANNA, ejusdem REGIS, Domini mei, Matre factam. Cedo item & renuncio, eodem nomine, omni IURI, quod eidem REGI, Domino meo, aut Serenissimis Principibus ac Infantibus filiique ejus, in DICTA REGNA & Provincias iis annexas, competit seu quavis ratione competere potest, in favorem & beneficium eiusdem Serenissimi Archiducis Ferdinandi, ejusque per lineam rectam masculinam non interrupta serie legitime descendantium masculorum, sine gradus aut temporis limitatione vel prescriptione; Sub hisce conditionibus vel pactis: Vt scilicet COMPENSATIO, qua IN ALIQUA PROVINCIA RVM AVSTRIACARVM fieri postulatur aut postulari posset, ad aliam tractationem differatur. Que quidem tractatio, quantocius fieri poterit, instituenda erit; habitâ in eâ etiam ratione tot auxiliorum & beneficiorum, quibus Augustam Domum suam in his partibus, Catholica Majestas semper tutata est: ita vt consideratis hisce omnibus, ipsi hac in parte, quantum fieri poterit, satisfiat. Cum expressa etiam obligatione & pacto: Vt, quândocumque linea recta masculina eiusdem Serenissimi Archiducis Ferdinandi defecerit, DICTA HÆC REGNA VNA CVM ANNEXIS PROVINCIIS, AD POSTEROS MAJESTATIS CATHOLICÆ, per lineam rectam Masculinam legitime descendentes, devolvantur: Ita vt filie, ex Sua Serenitate eiusque posteris natae & nascitura, earumque filij & descendentes Masculi, in infinitum per Masculos, à Rege Domino meo in lineâ rectâ Masculinâ legitime descendentes, nunc & perpetuis ab hinc temporibus, à dictorum Regnorum ac Provinciarum eò pertinentium successione excludantur. Quibus ita per Serenissimum Archiducem premissis, in se sua Serenitas recepit, oportunis officiis apud Casaream Majestatem iustare & curare, vt hac vtrinque super his confecta Instrumenta ac Littera, per eandem auctoritate Imperiali ac Regia, in amplissimâ formâ de plenitudine potestatis confirmentur. Quæ omnia Ego Comes de Ognate, Legatus & Mandatarius, nomine quo supra, accepta & rata habens, ex certâ scientiâ, deliberatâ voluntate, aliasque omni meliori modo, viâ & formâ, quibus de iure, Constitutionibus Imperij vel Regnorum sua Majestatis Casareæ, vel quarumcumque Provinciarum consuetudinibus ac statutis id fieri potest, ad maiorem huius tractatus securitatem promitto, dicti Regis, Domini mei & Principis, ac In-

fus

fantum haredumque ipsorum ac posterorum utriusque sexus nomine, Quod omnia & singula in hoc Instrumento contenta, sanctè & inviolabiliter, ex parte ipsorum servabuntur & adimplebuntur: Neque à Rege aut Principe, Infantibusque ipsius filii, sive per Testamentum, sive aliam ultimam voluntatem, ac Dispositionem inter vivos, quocumque in contrarium ordinandum esse; et si secus factum fuerit, ut irritam & nullius valoris fore: Renunciando, nomine quo supra, exceptionibus quibuscunque, doli mali, enormissima Lesionis, Restitutionis in Integrum, S U C C E S S I O N I S F O R M I N A R V M ad dicta Regna & Provincias, item Iuribus & Privilegiis, Legibus, Consuetudinibus, Statutis, Decretis, Pactis, familia transactionibus, et observationibus quibuscunque predictorum regnorum et provinciarum ad eas pertinentium, si qua in contrarium essent: qua omnia quasi hic verbo tenus impressa essent, habebuntur. Inque ego, nomine quo supra, ad effectum harum literarum absolute renuncio, & ad id derogatum esse volo, ut etiam contra Iuratum hoc Instrumentum & pactum, nulla Pontificum Romanorum aut Imperatorum dispensatio vel relaxatio peti aut impetrari possit; aut si qua impetraretur, vel ab ipsis Pontificibus & Imperatoribus motu proprio aut sponte concederetur, nullius omnino roboris aut valoris esse volo. Præterea, si Sua Serenitati visum fuerit, aliquid pro maioris suæ suorumque descendendum securitate & cautela, circa hoc Instrumentum in Clausulis innovandum, addendum, aut quid ulterius P R O majori totius Instrumenti A U T H O R I S A T I O N E faciendum esse; non mutatis tamen conditionibus, aut rei ipsius substantia; ad id in eâ omnino formâ, prout ex parte sua Serenitatis, ejusque filiorum, petitum fuerit, eundem Regem Dominum meum Principemque, & Infantes ejus filios (dummodo intra unius anni spatium à dato huius Instrumenti computandum ista petitio fiat) absolute fore obligatos promitto: Obligans ad executionem & implementum horum omnium, universa Regis Domini mei bona, qualiacunque ea sint, cum renunciatione legum, & constitutionum, aliorumque beneficiorum quorumcunque, huic obligationi contrariorum, in verbo ac vera fide Regis, Domini mei, & in vinculo faramenti per me, Catholica Sua Majestatis nomine, ad Sancta D E I Evangelia manibus meis tacta corporaliter præstiti.

In horum omnium firmissimum robur ac certum testimonium, hoc Instrumentum, sigillo meo communitum manu propria subscripsi omnia sapè dicta Suae Serenitati; presentibus ibidem; Domino Iacobo Chisel, Barone in Kaltebrun, eiusdem Serenissimi Domini Archiducis Consiliario, Camerario, & Magistro Stabuli; item Domino Urbano, Barone de Batingen et Persin, eiusdem Suae Serenitatis Consiliario Bellico, & Camerario; tanquam testibus ad hunc actum vocatis: Adstante quoque, ex mandato Suae Serenitatis, eiusdem Consiliario Secreto & Procancellario Aulico, Domino Leonhardo Gezio, I. V. D. Qui omnes à me rogati, hic quoque manu propria sub-



scripserunt. Acta sunt haec in arce Regia Pragensi, in Camera vel Cubiculo Serenissimi Archiducis Ordinario, Die v. Mensis Iunii Anno MDCXVII. Indictione quinta decima. Imperante invictissimo & Potentissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Matthia II.

Ill. Comes de Ognate &c.  
Iohannes Iacobus Chuel, li-  
ber Baro in Kaltenbrun.  
Urbanus de Polingen, &  
Frensin, liber Baro in Fal-  
kenstein.  
Leonhardus Gezius qui supra.

Ad mandatum Domini Comi-  
tu Legati proprium  
Guillelmus Portugal, Secreta-  
rius.

Wolff Adam Zeiss de Pir-  
nova Registrator.

Collationatum & concordatum cum  
Originali. Actum Pragae in  
Cancell: Sac: Czf: Ma: Bohe-  
mica. Pragae 7. Octob: A. 1617.



FERDINANDI AV-  
STRIÆ ARCHIDUCIS  
OBLIGATIO.

**N**OS FERDINANDVS, Dei Gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniola, & Wirtembergae &c. Comes Tyrolis & Goriciae &c. Attestamus et notum esse volumus, omnibus & singulis has litteras nostras seu Diploma publicum lecturis, visuris vel audituris. Cum Sacra Caesarea, nec non Hungaria & Bohemia Regia Majestas, MATTHIAS II. Dominus Patruelis ac Pater noster clementissimus, superioribus proximis annis, post suscepta Regnorum suorum Hungaria & Bohemia guber-

gubernacula, pro paterno suo & singulari in Rempubl. RELIGIONEM,  
ac vniuersam nostram DOMVM AVSTRIACAM, amore, cura, &  
solicitudine statuisset, ad horum omnium salutem & incolumitatem magno-  
perè pertinere, vt sese ad huc in vniuersa existente, de futurâ EORVM SUC-  
CESSIONE &c.

Ac re cum Serenissimis ac Potentissimis, Hispaniarum Rege PHILIPPO III. Fratrem & Patruelem nostrum amantissimo  
& obseruantissimo, necnon Serenissimis Fratribus Suis, MAXIMILIANO  
& ALBERTO, Archiducibus Austriae, Patruelebibus & Fratribus  
nostris amantissimis, mature deliberatâ; vnanimi consensu, quo ad praesenti-  
onem dicti Regis Catholici, conclusum est.

Primum, Quod Majestas  
Sua Catholica, ad intercessionem Caesareae Majestatis, bonum publicum pri-  
uatis commodis anteponeus, renunciet Iuri suo, quod tanquam vnica AN-  
NAE, HUNGARIAE & BOHEMIAE REGINAE, per lineam  
rectam Maximiliani II. eiusdem Reginae Annae Primogeniti, PRONE-  
POS, IN SUCCESSIONE DICTORVM REGNORVM,  
& eis annexarum PROVINCIARVM habet; in fauorem nostri, no-  
strorumque masculinorum, per lineam rectam masculinam non interruptâ mas-  
culinorum serie descendentiâ: reseruata tamen COMPENSATIONE,  
de qua propter periculum mora (qua ad inspectionem & examen Priuile-  
giorum & Compactatorum Augusta Domus nostra Austriaca requiritur)  
alias agetur.

Deinde, Quod in fauorem nostrum & descendentiâ  
nostrorum vt supra, confirmet Renunciationem, à Serenissima Regina Anna  
eius Matre, dicti Maximiliani II. Filia, XXI. Aprilis A. M. D. LXXI.  
factam.

Prout Illustris Dominus, Don Inacius de Guenarra, Comes de  
Oznate, Sua Regia Catholica Majestatis ad Caesaream Majestatem Orator,  
eiusdem Regia Majestatis nomine, & vigore Plenipotentiâ sibi hac in parte  
tradita, re ipsâ cesit, renunciauit, & praesatam Renunciationem maternam  
confirmauit.

In quo cessionis & confirmationis actu, Nos singulare  
beneficium, & propensam erga nos voluntatem, & beneuolum affectum Sua  
Catholica Majestatis agnosimus & acceptamus, cum debitâ animi gratitu-  
dine atque existimatione, hanc cessionem & renunciationis confirmationem.  
Atque ex parte nostra nostrorumque descendentiâ, consentimus, statuimus,  
gratum & ratum habemus, vt linea Mascula Sua Catholica Majestatis, IN  
hac SUCCESSIONE DICTORVM REGNORVM, ET annexarum PROVINCIARVM,  
femineam Paterna nostra stirpis, nec non filios ex filiabus eiusdem stirpis descendentes, precedat, sine gradus aut  
temporis limitatione vel praescriptione: ita quidem, vt casu, quo (quod DEVS  
auertat) quandoocunque omnes nostros, per lineam rectam masculinam non-  
interrupta masculinorum serie descendentes, masculos decedere contingeret;  
famina quacunque fuerint, & earum filii ac descendentes, per descendentes  
ex linea Recta Regis Catholici PHILIPPI III. (modo feliciter regnan-  
tis)

his) IN INFINITVM à dictorum Regnorum Successione excludan-  
tur. QVO AD COMPENSATIONEM, QUÆ IN A-  
LIQVA PROVINCIARVM AVSTRIACARVM FIERI  
POSTVLATUR, promittimus: Quòd super eà, quanto citius fieri po-  
terit, tractatio instituitur; habità etiam ratione tot beneficiorum & auxilio-  
rum, quibus Augustam Domum nostram in his partibus Catholica Sua Ma-  
jestas semper tutata est: ita, ut consideratis his omnibus, hac in parte, ipsius  
Majestati, quantum fieri poterit, satisfiat. Atque iam dictam  
cessionem & renunciationis confirmationem, cum prædictis conditionibus &  
oneribus, confirmamus, acceptamus: & agnoscimus nostram nostrorumque  
filiorum & descendendum, in hoc tractatu aperiã utilitatem: Ex certâ  
scientia, et deliberatâ voluntate, omni dolo & fraude remota, abasque omni  
meliori modo, via, & forma, quibus de iure, Constitutionibus Imperii vel  
Regni, aut Provincia, eiusque Consuetudinibus Statutis id fieri potest, ad  
maiorẽ huius tractatus securitatem promittendo, nostro, nostrorumque v-  
triusque sexus descendendum nomine, Quòd omnia & singula in hoc Instru-  
mento contenta, sanctè ac immutabiliter servabuntur & adimplentur.  
Promittimus item, neque Nos, neque posteros Nostros, per Testamentum,  
aut aliam ullam ultimam voluntatem, aut dispositionem inter vivos, quis-  
quam in contrarium huius Transactionis ordinaturos vel facturos: Et si te-  
cus à quopiam nostrum factum fuerit, id irritum & nullius valoris fore:  
RENUNCIANDO exceptionibus quibuscunque doli mali, enormissi-  
ma lesionis, restitutionis in integrum, successionis feminarum, ad dicta Re-  
gna & provincias, item iuribus, ac privilegiis, legibus, consuetudinibus, sta-  
tutis, decretis, pactis, familia transactionibus, & OBSERVATIONIBVS  
QUIBUSVIS PRÆDICTORVM REGNORVM & PRO-  
VINCIARVM ad ea pertinentium, si quæ in fauorem nostrum contra  
conditiones in hoc Instrumento contenta essent: quæ omnia pro hic insertis  
haberi volumus. Quibus omnibus, nostro nostrorumque nomine, ex-  
presse renunciamus, & ad id derogatum esse volumus, ut etiam contra iura-  
tum hoc Instrumentum & pactum, nulla Pontificum Romanorum aut Im-  
peratorum dispensatio vel relaxatio, peti aut impetrari possit: aut si quæ à no-  
bis vel successoribus nostris impetraretur, vel ab ipsis Pontificibus & Impe-  
ratoribus motu proprio aut spontè concederetur, nullius roboris & valoris es-  
se volumus. Promittimus etiam, Nos Sacram Casarem Majesta-  
tem rogaturos, ut tam cessionem & renunciationis ratificationem, ex parte  
Regis Catholici factam, quam Instrumentum hoc, cum expressa huius præce-  
dentia ad successionem dictorum Regnorum & Provinciarum annexarum  
conditione Auctoritate Imperiali, & Regia, ex plenitudine potestatis, & qua  
potest fieri meliori forma, confirmet. Obligamus Nos præterea, Quòd in-  
tra terminum sex Mensium, postquam tam in hoc Bohemiæ, quam Hun-  
garia

garia Regno, coronati fuerimus, utrobique hoc Instrumentum sollemniter de nouo confirmaturi simus.

Et si quã ex causã, premeditata vel non premeditata, hic vel ibi id omitteremus; habeatur nihilominus quasi factum, esset, & hoc Instrumentum suum vigorem & integrum effectum habeat. Præterea, si Regi Catholico, aut ejus Filiis, visum fuerit, aliquid pro majori sua suorumque descendentiũ securitate & cautela, circa hoc Instrumentum in clausulis innouandum, addendum, aut quid ulterius pro maiori totius Instrumenti autorisatione faciendum esse; non mutatis tamen conditionibus, aut rei ipsius substantia; ad id in ea omnino forma, prout ex parte Catholica Suae Majestatis ejusque filiorum, petatum fuerit, Nos, Nostrosque Filios (dum modo ista petitio intra unius anni spatium à dato huius Instrumenti computandum, fiat) absolute obligatos fore fatemur & pollicemur.

Demum promittimus omnia & singula supra dicta, Nostro nostrorumque nomine, sub obligatione omnium bonorum nostrorum presentium & futurorum, qualiacunque ea sint; cum renunciatione legum & constitutionum quarumcunque, huic obligationi contrariarum, in verbo ac fide vera Principis & Archiducis, & in vinculo Iuramenti ad sancta Dei Evangelia manibus Nostri corporaliter tacta præstiti.

Et in eorum omnium firmiter robur, ac certum testimonium, hoc Instrumentum, non tantum manu Nostra propria subscripsimus, Sigillo nostro Archiducali communitum: sed etiam in presentia Jacobi Chisel Baronis in Kaltebrun, Consiliarij, Camerarij, & Magistri stabuli nostri; item Urbani Baronis de Bodingen & Persin, Consiliarij nostri Bellici, & Camerarij; testium ad hunc actum specialiter vocatorum; per Leonhardum Gezum, f. U. D. Consiliarium nostrum Secretum, et Pro-Cancellarium Anticum, subscribi fecimus.

Acta & facta sunt ista in Arce Regia Pragensi, in Camera vel Cubiculo nostro Ordinario, Die VI. Mensis Iunij Anno M. D. C. XVII. Indictione x v. Imperante Illustrissimo & Potentissimo: Rom: Imp: Matthia.

F E R D I N A N D U S .

Iohannes Iacobus Khsel, Liber Baro in Kaltebrun &c. Urbanus de Podingen, Liber Baro in Falckenstein & Persin &c. Leonhardus Gezum, Pro-Cancellarius: Et ego Comes de Ognate, Potentissimi Hispaniarum Regis Catholici, Domini mei, Legatus: in presentia Serenissimi Domini Archiducis Ferdinandi, testiumque & Cancellarij supra nominatorum, acceptum & ratum habeo, Regio Catholica Suae Majestatis nomine, vigore specialis mandati ad me directi, dati Madritij x x i. Aprilis, presentis huius Anni M. D. C. XVII. & Cancellario prænominato, eidemque Suae Serenitati ad recognoscendum originaliter exhibiti; Scripturam, Instrumentum, & Obligationem hanc, Suae Serenitati promissam, in omnibus iis, qua & quatenus in fauorem ac beneficium Regis Catholici Principisque Castella, & Serenissi-

B

morum Infantium, Dominorum meorum, descendantiumque in infinitum, facit, & facere potest, modo & forma, qua Catholica Sua Majestatis suisq; Hæredibus, ac ipsorum descendantibus, utilior ac melior, atque de Jure validior esse potest ac debet. In cuius rei fidem, hanc acceptionem in presentia Sua Serenitatis, testiumque & Cancellarij pronominatorum, manu propria subscripsi, Die, Mense, & Anno supra dictis.

Don Comes de Ognate &c.

Johannes Iacobus Chüel, liber Baro in Kaltenbrun.

Urbanus de Podangen, &

Persin, liber Baro in Falkenstein.

Leonhardus Gezim, qui supra.

Ad mandatum Domini Comitis Legati proprium

Guilhelmus Portugal, Secretarius

Wolff Adam Geis de Pirnova Registrator.

Collationatum & concordatum cum Originali. Actum Pragæ in Cancell: Sac: Caf: Ma: Bohemica. Pragæ 7. Octob: A. 1617.



MATTHIÆ II. ROM. IMP.

CONFIRMATIO.



MATTHIAS, Diuina fauente clementia, Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclauonia &c. Rex; Archidux Austria; Dux Burgundia, Brabantia, Styria, Carinthia &c. Marchio Morania &c. Dux Luxemburgia, ac superioris & inferioris Silesia, Wirtembergæ & Techa &c. Princeps Suenia; Comes Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritia, &c. Landgrauus Alania; Marchio, S. R. Imperii; Burgundia, ac superioris & inferioris Lusania  
Domi-

Dominus; Marchio Sclauonia, Portus Naonis, & Salinarum &c. Agno-  
scimus, & notum facimus tenore presentium, quibus expedit, et ad quos per-  
tinet, vniuersis. Cum in hac rerum humanarum incertitudine, ea  
Nos cura maiorem in modum sollicitos haberet, quo pacto Regnorum nostro-  
rum ac ditionum salus ac prosperitas, et quam Diuina Majestatis concessio  
ac munere Domus nostra Augusta consequuta fuit, Majestas ac Dignitas,  
continuari ac perpetuari, CERTAQUE SVCCESSTO STABILIRI  
possit: Eaque de causa, primum cum Serenissimo Rege Hispania-  
rum Catholico, Domino PHILIPPO III, Consobrino ac Nepote nostro  
charissimo; deinde cum Serenissimis Archiducibus Austria, MAXIMI-  
LIANO, & ALBERTO, Fratibus nostris charissimis, egissemus: Vt  
QVOD IN NOSTRA HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ RE-  
GNA HABERENT, VEL HABERE POSSENT IVRIS,  
Serenissimo Archiduci FERDINANDO, Patrueli nostro charissimo,  
resignerent ac cederent: Tandem obtenta dicti vtriusque Fratris nostri  
cessione, Renunciatio etiam supra dicti Serenissimi Catholici Regis, certis con-  
ditionibus, qua inferius sequuntur, consequuta & impetrata fuit. Ad  
quam quidem commodius ac plenius pertractandam, perficiendamque & ab-  
soluendam, Serenitas Sua Illustri Don Inaco de Guenarra, Comiti de Ognate,  
Oratori suo, plenum ac sufficiens mandatum, ac potestatem, cuius copia  
nobis authentica exhibita, dedit & concessit. Inter quam, & supra  
nominatum Archiducem FERDINANDVM, Patruelem nostrum  
charissimum, presens super ea re tractatus, hic in aula nostra Casarea habi-  
tus, & in hunc, qui sequitur, modum concorditer conclusus, confectusq; su-  
per eo, qua requirebantur, Instrumentis finitus fuit.

Inseratur: EGO DON INACVS VELITZ DE GVE-  
VARRA &c. Item: NOS FERDINANDVS DEI  
GRATIA ARCHIDVX AVSTRIÆ &c.

Postquam igitur ex parte superscripti Serenissimi Regis Catholici, per  
nominatum Serenitatis Sua Oratorem, Comitem de Ognate, & Serenissimum  
Archiducem Ferdinandum, Patruelem nostrum charissimum, rogati fuerim-  
us, vt tractatum hunc, & supra inserta Instrumenta, approbare & confir-  
mare dignaremur: Nos pro zelo ac studio nostro, quo Auguste DO-  
MVS NOSTRÆ conseruationem ac dignitatem procuratam ac stabili-  
tam cupimus, AVTORITYTATE NOSTRA CÆSAREA ac RE-  
GIA, supra inserta Cessionis ac Renunciationis Tractatū & Instrumenta su-  
per eo confecta, approbauimus, rataque habuimus, ac confirmauimus;  
Quemadmodum vigore presentium approbamus, rata habemus, & confir-  
mamus; Vt scilicet futuris perpetuo temporibus, iuxta supra dictum  
Resignationis & Renunciationis contractum, nostramque hanc approbationem,  
ratihabitionem, & confirmationem, quacunque ratione supra expli-

*causa SUCCESSIONIS oriri aut moueri queant dubia, resoluantur ac decidantur, ac resoluta & decisa censeantur: ita quidem, ut nihil à Nobis, aut successoribus Nostris, aut quocunque alio, in contrarium statui ac decerni possit: Defectum omnem, qualiscunque allegari & nominari possit, ex plenitudine potestatis Nostra, suppletos, aut suppletum esse volentes. Harum testimonio litterarum manu Nostrâ subscriptarum, & Sigilli nostri Casarei appensione munitarum. Datum in Arce nostra Regia Praga, xv. Iunij Anno Domini M. DC. xvii. Regnorum nostrorum, Romano v; Hungaria xi; Bohemia verò vii.*

M A T T H I A S.

*Vice Reuerendiss. Dni. Ioann. Schruvicardi, Archicancellarii & Electoris Mogunt. videt L. von Ylen.*

*Ad Mandatum Sacrae Caesareae  
Majestatis proprium,  
Ioh: Barstius.*

*Wolff Adam Zetsch de Pir-  
nova Registrator.*

*Collationatum & concordatum cum  
Originali. Actum in Cancellaria  
Bohemica Praga vii. Octob.  
Anno M. DC. xvii.*



